



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Cap. IX. Varia pietatis exercitia, quibus coli S. Iosephvs pro variâ
temporum & affectuum ratione potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

In Colloquio I. Gratias ages SS. Tri-
nitati, ob gratiam gloriamque tam co-
piosam, quâ S. IOSEPHVM affecit.
II. Precaberis Dei Matrem, vt illa te
S. IOSEPHO commendet. III. Profite-
beris, te S. IOSEPHO deuotum fore;
omniaque in eius obsequium concepta
studia, quæ vnquam circa illius hono-
rem concepisti, renouabis. *Pater no-
ster, Aue MARIA.*

CAPVT IX.

*Varia pietatis exercitia, quibus coli S. IO-
SEPHVS pro varia temporum &
affectuum ratione potest.*

SUPRA iam diximus, omnibus pie-
tatis exercitijs, honore ac reueren-
tiâ, quibus solemus alios Diuos af-
ficere, debere à nobis S. IOSEPHVM co-
li. Quisquis enim illum amârit, nun-
quam suo in illum studio satisfaciet;
eiusque merita omnia nostra eius co-
lendi inuenta longè excedunt. Si te iu-
berem eius imaginem tecum ferre, aut
saltem

saltem in conclavi, vel oratorio habere: si te hortarer, vt curares nonnumquam pro eius honore Sacrum dici: si te rogarem, aliqua seu charitatis, seu pœnitentiæ pia opera susciperes, ad tuum in illum amorem demonstrandum: si auctor tibi essem, vt nouem continuos dies ad SS. Eucharistiam accederes, id quod Ioannæ ab Angelis Vrsulinæ feliciter successit; quando illâ ad honorandum S. IOSEPHVM nouem diebus ita SS. Cômunionem refectâ, Dæmon, à quo obfidebatur, non compellatus vltro Exorcistæ se stitit, cum Exorcismi tunc adhiberentur, confessusque est, se à S. IOSEPHO iussum fuisse ex illo corpore emigrare, nomenque IOSEPHI manui inscribere, iurauitque se facturum, quemadmodum mox re ipsa præstitit: aut si te in S. IOSEPHI honorem monerem nouena Sacra procurare; quod permagni P. Ioannis Iosephi Securini eius Monialis Exorcistæ interfuit, quando ante nouenarij illius finem,

a *Ex gloria S. IOSEPHI p. 9.*

finem, quo cœpit Sacra peragere, Dæ-
mon illam deseruit, nomine S. JOSE-
PHI, vti promiserat, in plurium coronâ
manui omnino liberæ patentique in-
scripto; cui nobilis quoque Anglus he-
reticus interfuit, ac Vrsulinę illius bra-
chium tenuit. *a* si suaderem, vt eius
virtutes imitareris, (quod genus ho-
noris Sanctis est perhonorificum) eius
priuatam secretamque vitam, etsi om-
nino Sanctam, eius Angelicam Virgi-
nalemque castimoniam in ipso etiam
coniugio colendam, eius humilitatem,
patientiam, mansuetudinem, & ani-
mum mirè sibi præsentem summo cum
silentio coniunctum; quod tale fuit, vt
quemadmodum vir pius maximâ circa
S. JOSEPHI virtutes luce illustratus af-
seruit, magnæ taciturnitatis fuerit, ac
Nazarethi in Seruatoris nostri domi-
cilio, sit parcè admodum locutus; quo
tamen adhuc pauciora B. Virgo & I E-
SUS loquebantur; ipse nihilominus
oculis multa didicit, etsi nec hic, nec
illa

a Ibidem p. 13.

illa multis verbis vteretur: a Si denique eiusmodi pietatis exercitationes in S. IOSEPHVM proponerem; diceres forsitan, trita hæc omnia esse, gratiorémque tibi delectum fore, si quid te docerem, quod esset S. IOSEPHO singulare, & à Sanctis alijsque notæ alicuius seu viris, seu feminis varijs occasionibus fuisset vsurpatum.

Hic tibi non deero, per omnia me ad genium tuum effingam: tu modò ea sectare, quæ antè attuli, modò illa, quæ hîc superaddam: omnia è re sunt, & in hoc argumento S. IOSEPHI studiosus vndequaque proficit. Senas igitur tibi S. IOSEPHVM colendi rationes adducam, non contemnendas: persuadeo mihi, aliquam ex ijs prorsus ad tuum stomachum fore, & ingenio tuo accommodatam.

I. Ad S. IOSEPHVM confugere, cum aliquid è rebus cuiusdam charis amissum est. Ita nos S. IOSEPHI cliens Ioannes Gerson instituit, a asserens, eos, qui
tali

a In Iosephinâ.

tali occasione S. Patriarchæ huius opem exquirunt, quamprimum res amissas recuperare. Cuius rei testem quendam adducit è suis amicis, qui rem sibi admodum pretiosam denuo eius ope recepit. Nescio sanè, vtrum consilij huius vim secuti perturbatæ mentis homines, ac ij, qui graviter animis anguntur, ad eum ideo confugiant; quandoquidem conscientia quietem & animi pacem amisere: certumque est, eos maximæ in hac vitâ rei ac cum primis pretiosæ iacturam fecisse. Vtut sit, vtrumque puto rectissimè facere, censeoque B. Virginis SS. Sponsum, qui in duodennis Christi Ierosolymæ amissi iacturâ vsu didicit, quantum dolorem afferat, quidpiam amittere, quod prudenter amatur, non omisurum eos consolari, ac postulatam illis tranquillitatem restituere.

II. Ob S. IOSEPHI amorem omnes eiusdem amantes amare, siue iam cælum, siue adhuc terras incolant, eos præsertim, qui nomine IOSEPHI appellantur.

lantur. Hac ratione, si quis me consulat, S. Tereſiam, aliosque ſancto IOSEPHO addictos diliget, eosque omnes obſeruabit, qui in hac vitâ ſuam in eum propenſionem ac pietatem produunt. Certè, vt dicam, quod res eſt, idem ego affecto, faueoque IOSEPHIS omnibus, quibus datum eſt, Sponſi Dei Matris nomine inſigniri. Quo loco me non contineo, quin eorum aliquos huc at-
 texam, quibus tam lauta fortuna obti-
 git, quo eorum amore capiamur. Ali-
 cubi decem IOSEPHI amantes exhibui;
 huc totidem IOSEPHOS producam:
 è quorum geſtis ſi quod præclarum ſe
 mihi facinus obtulerit, non præteribo,
 vt perſpectâ eorum virtute præter no-
 minis gratiam eos ampliùs amemus.
 Et quod bene vertat, caſtus ille ac exi-
 mius Iosephus Veteris Teſtamenti Pa-
 triarcha chorum ducat: primus ei lo-
 cus debetur, vt qui omnes alios totis
 ſæculis anteceſſit.

IOSEPHVS Patriarcharum antiquæ
 Legis decus, quem Spiritus ſanctus ipſe
 in

in Sanctorum numerum retulit, *a* & ob
 raras eius dotes, ac diuinam de illo ab
 ipso eius ortu destinationem vocatur,
 IOSEPH, qui natus est homo, princeps
 fratrum, firmamentum gentis, rector fra-
 trum. Hinc promeretur amari, & in
 syllabum insignium IOSEPHORVM re-
 ferri: eius enim generosum pudoris
 tuendi facinus, quando inconcesso in
 se amore ardentem heri sui coniugem
 repulit, malitque relicto intra manus
 eius pallio profugere, quàm scelus ad-
 mittere, ceu rarius miraculum orbem
 vniuersum peruasit, quod tota fuit an-
 tiquitas admirata: vt adeò & ob exi-
 miam suam castitatem sit amore di-
 gnus, in quâ noster tamen IOSEPHVS
 longè illum exsuperat; & ob præstans
 IOSEPHI nomen, quo tamen IOSE-
 PHVS noster centies milliesque est illo
 dignior.

IOSEPHVS ab Arimathia nobilis
 ille Centurio *b* in Euangelio tam cele-
 bris

a Eccli. cap. 49. vers. 17. *b* Festum
 eius est 17. Mart.

bris satis propè ad illum accessit: eius enim nomen gerebat, erat IESV CHRISTI amans, Corporis IESV defuncti curam habebat, vt alter viuentis habuit. An non hæc satis ad conciliandum illi amorem? Id verò multò magis eum nostræ pietati commendabit, quòd & ipse rerum amissarum iacturam reparer, vt B. Virginis Sponso solenne est. Maria Vasquez de Mellâ Monialis ex Ordine S. Dominici in Monasterio S. MARIE de Zamrà in Hispaniâ singulari pietate S. IOSEPHVM ab Arimathia proferebatur ob insignia eius obsequia Seruatori nostro, cum à Cruce deponeretur, præstita. Neque ingratorum se Diuus ille aduersus ipsam se præbuit: cum enim in eo Monasterio codex quidam fuisset amissus, graues eius loci causas continens; qualibet ad recuperandas eas tabulas ad id pietatis genus, ad quod quæuis propendebat, conuersâ, ipsa hunc Diuum præfauit. Neque multò post ad Monasterium nobilis eques generoso equo insi-

dens.

dens aduolat; ac ubi primum terram attigit, Mariæ Vasquez loqui se velle significat: quæ cum vix ad clathros colloquio destinatos adfuisset, nullius rei factâ adhuc mentione, eques librum illi obtulit, cuius iacturam ipsa dolebat. *a*

IOSEPHVS mulieris Samaritanæ filius filius, cui colloqui Christus dignatus est, cum esset ab itinere, quod cum Discipulis suis faciebat, fatigatus. *b*
 Hic eius natus vnâ cum fratre suo Victore fuit Martyrio affectus, quod mater etiam ipsa fuit consecuta: quarum trium victimarum natalis in diem vigesimum Martij *c* cadit, quo sunt in cælum euectæ, vt illic æternùm liberali ductu aquam illam bibant, quam Samaritana hæc postulauit, cum dixit: *Domine, da mihi hanc aquam.*

IOSEPHVS Iustus vnus è septuaginta Seruatoris Discipulis, qui virtute sua

K illud

a Ex P. Ioanne à S. Mariâ in Histor. Sanctior. Ordinis. *b* Io 4.

c Ex Martyrologio Baronij.

illud nomen promeruit, ac vitæ sanctitate eam de se fuit opinionem affectus, ut eum Apostoli, cum S. Matthiâ conferrent, sorte intellecturi, vter in officium ac locum Apostoli succederet, quo Iudas perfidâ & execrandâ suâ proditione exciderat. *a*

IOSEPHVS sanctus Poëta, cuius deliciae fuerunt, de Diuorum laudibus versus componere; qui ad vitæ illius finem gratos se eius laboribus exhibuerunt; quemadmodum in Sancto cum Diuis foedere III. Aprilis annotati, qui iuxta Menologium Græcorum dies est obitus illius: etsi Beda & Cardinalis Baronius eius memoriam 15. Februarij recolant. *b*

IOSEPHVS Steinfeldensis antè dictus Hermannus, fuit ex Ordine Præmonstratensium, singulariter B. Virgini deuotus, à quâ pro Sponso assumptus IOSEPHI nomen accepit, ut quoad fieri posset, in omnibus conaretur primo Sponso.

a Festum eius fit 20. Iulij

b De eo Eusebius Hist. lib. 3. c. 32.

Sponso suo IOSEPHO similis esse, a Gra-
tia illa tam est extraordinaria, vt è re
videatur, rem vt gesta est, hîc enarrare.
Eius Ordinis Religiosi, quos inter vi-
uebat, nescio quâ de causâ quouè in-
stinctu admoniti cœperunt illum IO-
SEPHI nomine compellare: aliqui cen-
sent, ob pudorem planè virgineû, qui
in omnibus eius actionibus promine-
bat, id factum esse: quod ille amanter
Abbati questus, nihil tamen effecit, etsi
expectaret illo se nomine prohiben-
dum; vnde res mira illi accidit. Se-
quenti nocte cùm in Choro templi
precibus vacaret, Matronam vidit rarâ
pulchritudine ac insigni maiestate vi-
fendâ, latera illius binis Angelis splen-
denti formâ cingentibus: quorû vnus
alteri locutus, cui, inquiebat, hæc Vir-
go tam venusta despondebitur? cui-
nam alteri, respondit alter, quàm illi,
quem hîc coràm vides? Quare miser
Hermannus vehementer auditis hisce
sermonibus consternatus, ac pudore

K 2

ple-

a Ex eius vitâ in Surio & alijs 7. April.

plenus cupiebat omnino in quopiam angulo delitescere: sed alter ex Angelis, qui aderant, eum ad Aram iussit accedere, arreptamque eius virgineam manum dexteræ Dei Matris inseruit, addiditque: Dei ac Domini mei iussu hanc tibi virginem virginum despondeo, Sponsique conditione donatum iubeo te deinceps etiam IOSEPHVM dici. Quis vnquam de gratiâ eiusmodi inaudijt? præsertim quoniam ei admirandi effectus successerunt, ita quidem, vt Dei Mater sæpius ad eum inuisens quingenties eius manibus IESVM Infantem obtulerit, exemplo S IOSEPHI ab eo ferendum, eumque tunc aptè præclaro IOSEPHI nomine alloqueretur, siue in suo conclaui lateret, siue domum obiret: vnde illico loquenti Deiparæ respondendum fuit, ac multo ardentior amor in illam concipiendus;

IOSEPHVS Comes, cuius vitæ mira est commutatio. Dixisses, eum ex destinato Deo resistere, ac Iudaicam per-

fidiam

fidiam eiuraret, aut ei manus daret: Deus illo spectante multa miracula ad signum S. Crucis patrauit; insolitis eum prodigijs voluit ad officium compellere; Christus ipse dormienti visus eum ad sui cognitionem inuitauit; idque sæpe sæpius agebat; denique acutis molestisque identidem morbis illum excruciauit; sed hæc omnes calimachinæ obstinatum eius animum expugnare nequiuere. Dei tamen constans patientia, qui diu admodum non desijt eius animum fodicare, tandem illius pectus emollijt. Igitur resipuit, Christumq; secutus magnos illico fuit honores adeptus. Constantinus enim magnus, qui eius merita agnoscebat, Comitem eum fecit: multoque maiores in exercitio perfectionis virtutumque Christianarum progressus fecit; vt in Dei obsequio fieret eximius, ac 22. Julij in Romano Martyrologio Sanctorum catalogo adscriberetur.

K 3

IOSE-

Ex Epiphania her. 30. & Baronio in 4. seculo.

IOSEPHVS, Hildegundis, quæ 2. Aprilis, sanctè obijt. Hæc sola ex puellis est, quod sciam, quæ IOSEPHI nomen sortita est. Sed hoc nemini mirum videatur; quandoquidem mutato sexûs sui habitu viriles vestes induit, pro Hildegundis nomine IOSEPHI adscito. Cuius permutationis causam omnem pater eius præbuit: is enim mortuâ suâ coniuge, & Agnete filiarum alterâ inter Moniales receptâ, cùm diu cogitaret Palæstinam religionis causâ petere, quam adeundi cupiditate diurnâ flagrabat, statuit destinata exequi. Sed quòd vereretur, ne quod malum interim filia, si sola relinqueretur, accideret, nec alia proles superesset, eam pro itineris comite adlegit: ut quæ probiori famâ ac securitate secum esset, virilem illi amictum iniecit. Igitur Colonia Agrippinâ, quæ patria illis tellus fuit, discedunt: mox tamen parente in itinere defuncto, miser ille Iosephus maximis incommodis superstes relinquebatur; qui iter prosecutus varijs casibus

terâ duos, amanter eum allocutus: Ca-
pe, Iosephe, hanc stipem, quam Domi-
nus tibi submitit, eique ad hoc benefi-
cium gratias age.

IOSEPHVS Anchieta è Societate Ig-
sv, fuit Brasiliæ Apostolus appellatus,
quemadmodum S. Franciscum Xaue-
uerium Apostolum Indiæ dixerunt.
Sed ego propè ausim eum Societatis
nostræ Moysen indigetare; ita vbique
omnis generis miracula patrauit: si in
pluuiâ tempestate iter faceret, ab vn-
dis intactus ac siccus euasit: si peregrè
illi ardente cælo fuit eundem, aues ius-
sit instar umbellæ sibi seruire, vt illæ
voci eius obsecutæ supra eius caput se
circumagerent. Tota denique vita il-
lius plena eiusmodi prodigijs fuit,
velut absolutum in res creatas impe-
rium obtineret.

Habes igitur IOSEPHOS omnino de-
cem, qui tibi sufficiant. Omnes sunt
amore digni, & tum ob venusti nomi-
nis splendorem, tum ob illustrem illo-
rum sanctitatem honorem merentur:

quos

quos vel ob hanc vnam causam debitâ pietate prosequamur, quod aliquid IOSEPHI habeant, qui dignus est, cuius studio ea omnia amemus, quæ quavis ratione ad illum referuntur. Ad finem huius capituli consolationem tibi meam, quam ante paucos admodum menses percepi, aperiam; quando ex ore piæ admodum feminae didici, religiosam vitam Lugduni profitentis, se singulari propensione omnes S. IOSEPHO deuotos colere, ac sæpius omnes in cælo beatos IOSEPHOS inuocare.

III. S. IOSEPHI nomen amare & colere, vbi occasio se offert: vt est I. Id nomen alicui in Baptismo, aut Confirmatione, aut in Religiosæ vitæ initijs imponere, si illi, qui piacularibus aquis abluuntur, aut confirmantur, aut Religionem adeunt, aut illi, quorum interest, hæc nomina tribuere, acquiescunt. Præclarum eius rei exemplum in Dei Matre, quæ B. Hermannum IOSEPHVM dici voluit, & hoc sæculo habemus, in quo maximè hoc nomen in

votis & vsu est, siue extra, siue intra
 Religionem inquiras. Et est ea nomen-
 clatura hodie tam felix, vt magi fa-
 ceantur, vehementer prestigiarum sua-
 rum vires in ijs infantibus hebetari, qui
 IOSEPHI nomen ferant. Ab idoneo Au-
 ctore didici, honestum virum, qui pau-
 cis ab ortu diebus omnes liberos per
 veneficia, vt ipse suspicabatur, amisit,
 aliquorū demum vitam seruauit, post-
 quam primo, qui exinde natus est, fi-
 liorum IOSEPHI nomen indidit, quem-
 admodum fuit ab amico quopiam eru-
 ditus, qui olim magicæ artis peritus af-
 firmabat, se vsu didicisse, S. IOSEPHVM
 aduersus incantationes eiusmodi esse
 admodum potentem. II. Eiusdem no-
 mine templa, sacella, Prouincias, Reli-
 giosas domos consecrare. Ita reperies
 templa S. IOSEPHI nomine insignita:
 ita Prouincias & religiosa domicilia
 videbis, quæ Prouinciæ S. IOSEPHI,
 Monasteria S. IOSEPHI dicantur. In
 Ordine S. Teresiæ frequens hoc est;
 quin ipse Dei Filius id nomen Mona-
 sterio

Aterio Abulensi attribuit. Æternum bene sit P. Francisco Canillacio Societatis nostræ, qui & ob nobilissimam pro-
 sapiam & illustres virtutes in Galliâ celebris est: neque enim satis illi fuit, sedem nobis Lugduni in eâ viciniâ, quæ Belle-court appellatur, stabiliuisse, ac censu auxisse, verùm insuper voluit ad testandum suum in SS. Virginis Sponsum amorem S. IOSEPHI nomen ipsam assumere. Quæ res postea P. Cottono occasionem præbuit, procurandi, ut templum, quod tunc ibi struebatur, nomen à S. IOSEPHO hauriret; ut ita, quidquid hîc loci nostri iuris est, sub præsidio tanti Cælitis tutum ac eius amabili nomine beatum esset. III. Sæpe sanctum eius nomen pronuntiare, ut in praxi ordinariâ B. Caspari Minimi diximus; quod perfacile factu cuiusvis erit, si eius exemplo volupe nobis sit, augusta illa tria nomina IESV, MARIÆ, & IOSEPHI sæpe in ore habere; quemadmodum eorum usum in Hagio-
 phili Blanditijs sanctis c. I. docuimus.

IV. Annulos gestare, quibus sit S. Iose-
PHI nomen inscriptum, simul si lubet,
Christi & B. Virginis nominibus adian-
ctis. Præterito hoc anno Lugduni, quo
tempore pestis grassabatur, scio plures
hocce annulos eo fine tulisse, vt S. Iose-
PHVS eos à lue defenderet: quod
consilium tam felici successu fuit sus-
ceptum, vt neminem ex illis inuasit,
imo nec ijs, qui in ea familiâ, aut domo
cum ipsis versabantur, nocere ausa
fuerit, Deo illorum fidei ac pio sancti
eius Nominis cultui fauente. V. Suas
actiones sub illius Nominis auspicio
inchoare. Kalendis Maij Gubernator
Kebecensis anno 1637. ante templum
ingentem defigi arborem iussit, triplici
coronâ redimitam, ac encarpis pen-
dentibus ornatam, quibus ceu scutis
Sanctorum nominum Trias IESVS, MA-
RIA, IOSEPH fuit inscripta. Atque hic
primus Maius erat, quo noua Francia
militari etiam peditum explosione,
templo illi honorem habuit.

AV. S. IOSEPHI honorem propaga-
re,

re, aliosque ad illius amorem inuitare, re nullâ prætermisâ, quæ potest aliquid ad eius cultum ac obsequium conferre. S. Teresia in hoc amoris in patrem suum officio planè fuit eximia: cuius causâ B. Virgo gratias ei retulit, testata, summopere sibi gratum esse, quòd per totam Ecclesiam maximè verò per Europam sancti Sponsi sui cultum restaurâsset. Ioannes Gerson pietate doctrinaque celebris Parisiensis Vniuersitatis Cancellarius non multò hac inferiora fuit conatus: quid enim in eâ causâ non fecit? Ille Officium diuinum ac sacrum pro festo eius die composuit: plures litteras ad diuersos Præsules exarauit, quibus eos ad celebrandum hunc diem adhortabatur: in priuatis congressibus potissimum loquendi thema illius de B. Virginis SS. Sponso erat. Ij, qui in Sodalitatibus eius nomini sacris, suum nomen profitentur, possunt ad hanc, de quâ nunc egi, classem referri; neque exiguâ laude sunt digni: & olim San-

sti ac imitandi studij liberale præ-
mium consequentur.

V. Sæpe S. IOSEPHO ob exantlatos
pro IESU & MARIA labores, ijsque
præstita obsequia gratias agere. Quis
enim, aiebat S. Tereſia, de Cæli Regi-
nâ, eoque tempore, quo tot ærumnas
illa cum IESU Infante sustinuit, cogi-
tare poterit, quin S. IOSEPHO pro ex-
hibitâ illi operâ & promptissimo au-
xilio grates referat? a Hinc expe-
dit, sæpe singillatim quorundam eius-
cemodi officiorum meminisse, velut
quando Christum brachijs sustinuit,
quando in eo vestiendo Matrem adiu-
uit, aut cum fuit in cunis reponendus,
& si quæ sunt alia. Hæ consideratio-
nes miram animo suauitatem afferunt,
quâ ad ingenuam gratiarum actionem
excitemur.

VII. In grauioribus negotijs ad
IOSEPHVM se conuertere, omnia
eius arbitrio committendo, ab eo suc-
cessum operis postulando, ac demum
acquie-

a *In eius vitâ c. 5.*

acquiescendo, quidquid in eâ causâ nobis à suo Filio, & Sponsâ suâ impetrabit. Ioanna pia Monialis ex Ursularum instituto, quo tempore fuit à Dæmonibus obsessa, ad eum vt patrem confugit: neque pro Exorcismorum felici exitu, sub quibus fuit vehementer à Dæmone exagitata, vt ab illa vexatione libera pristinam quietem recuperaret, aliâ fuit medicinâ opus, quàm vt ei S. IOSEPHI imago offerretur, eiusque ipsa opem inuocaret: tunc enim ex integro sibi fuit reddita. *a*

Finiamus, dicamusque, non omnia fuisse hoc loco à nobis allata, quæ possunt in S. IOSEPHI honorem decerni. Noui alios, qui rebus vrgentibus, paruum rosarium recitent eius honori accommodatum: & ad maius quidem granû flexo subinde genu Orationem illi propriam dicunt; ad minores verò orbiculos his verbis precantur: *Sancle IOSEPH, beatissime beatorum, ora pro nobis.* Alios itidem scio, qui nihil per
amorem

a Exp. 86. Vnclionis miracul.

amorem ac nomen S. IOSEPHI postu-
lanti denegant, si quidem deceat id
concedi. Longiori morâ opus esset, si
vellem ea omnia percensere, quæ pera-
gere illius Diui studiosi possent. Suffi-
ciat, quod antè præmissi; quidquid ni-
mirum aliorum Diuorum causâ susci-
pitur, siue preces illæ sint, siue vota, si-
ue obsequij religiosi significationes,
posse pari, imò maiori etiam ratione
S. IOSEPHO destinari. Nihil igitur ad-
dam: tempus enim exigit, vt post-
quam de modo illum colendi sumus
locuti, de eiusdem ope auxilioque,
quod ferre sui amantibus, ac vniuer-
sim se inuocantibus consuevit, aga-
mus. Id quod sequenti Capite prose-
quemur, agemusque initio de curâ il-
lâ, quam vitæ ac perfectioni interiori
eorum impendit, qui eum Patronum
deligunt, eiusque semper miseris pa-
tens præsidium implorant.

CA.